



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. || Lvdovici || De Ponte Vallis-||Oletani, È Societate ||  
Jesv Theologi.|| De || Christiani hominis || Perfectione In  
Qvo-||libet eius Vitæ genere.|| Tomi Qvatvor.||**

Quorum argumenta ex S. Rvth Historia præcipué desumpta

**Puente, Luis de la**

**Coloniæ Agrippinæ, 1625**

Avthor Pio Lectori.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39637**

## AVTHOR PIO LECTORI.



VAMVIS stupenda sint valde paternæ DEI Dñi nostri providentiæ consilia in peccatorū iustificatiōe, iustorumq; profectu, & perfectione, quā divinis suis vocationib⁹ exequitur per quinque Sacramēta, de quibus in primo Tomo est actū: nō sunt tamen minus stupenda eiusdem consilia circa Statū, Officiorum, vitæ que rationum, quæ sunt in Ecclesia & Republica Christiana institutionem, quæ excellentissima est omnium, quæ hæctenus fuerunt aut futura sunt in hoc mundo. *Respublica enim* (vt colligitur ex S. Augustino) *est congregatio multorum hominū aliquo amicitia vinculo coniunctorum, & eadem bona participantium.* Quo aut̄ vinculum illud strictius est ac fortius, bonaque ipsa præstantiora, eò ipsa Respublica est excellentior. Ex quo fit, vt Christiana Respublica, quæ *Christiana* est, sit excellentissima: Eò quod nullum possit esse fortius vinculum, quàm sit sacri Baptismi cum fide & Charitate, legeq; ipsa euangelica, quæ suos conciuēs colligat: nec præstantiora ac diuturniora bona excogitari possunt, quàm sint bona gratiæ & gloriæ, quæ omnibus illis offert. Hæc Respublica complectitur in se ipsa tres alias valde insignes: *Ecclesiasticam*, quæ fundatur in cōiunctione, quæ fit per Sacramentum Ordinis, cum varijs ad cultum Dei pertinentibus ministerijs; *Religiosam*, quæ tribus Paupertatis, Castitatis, & Obedientiæ votis constringitur in varijs institutis ac regulis ad euangelicam perfectionē sequendā; Et *Sacularem* cuius partes in vna eadēq; Religione Christiana varijs humanis legib⁹ ad propriā cuiusque gubernationem coniunguntur. In omnibus autem tribus his Rebus pub. mirum in modum elucet providentiā diuinā in distribuēdis varijs Statibus & Officijs modisq; viuendi diuersis personis iuxta varias earum propensiones & talenta, quas ipse varijs vocationibus ac medijs vocat, vt suum quisque Statum, Officium, ac viuendi rationem consequatur, eiusque perfectionem quærat: Et hoc erit Tractatus primi huius secundi Tomi argumentum. Sed quoniam Satanas instar Simiæ conatur Dei consilia ac dispositionem in sua gubernatione imitari: habet & ipse tres alias Congregationes siue *Tentantium* Republicas, per quas impugnat diuinas vocationes, ac perfectionem, quam assequi contendunt, qui in omnibus ipsius Dei Rebus versantur. Quamuis autem astutissimi, ac tremendi sint ipsi demones, non possunt tamen transgredi ordinem providentiæ diuinæ, cuius est eorum tentationes permittere, terminosque illis præscribere; de armis verò & remedijs contra eas ciuib⁹ suis providere: de quibus omnibus agitur in sæcundo Tractatu, indicatis magis ordinarijs tentationibus, quibus Christiani in varijs Statibus impugnantur: reiectis verò magis particu-

*Respublica*  
*definitio.*  
*Lib. 15. de*  
*Ciuit. Dei.*  
*c. 8.*

*Respublica*  
*Christiana*  
*dignitas.*

*Eius species.*

I.  
*Dei in vo-*  
*catione pro-*  
*videntiā.*

2.  
*Tentationes*  
*generales.*



3.  
*perfectio se-  
 cularium.*

4.  
*Maxime  
 Superio-  
 rum.*

5.  
*Coniugum  
 & Vidua-  
 rum.*

laribus ad Tractatus, qui de singulis statibus instituentur. In tertio postea Tractatu de perfectione agetur Christianæ Reipublicæ, præcipue Sæcularis in ijs omnibus, quæ spectant ad mutuam horum cum illis consuetudinem, maiorum, minorum, & æqualium; & in Familiarum gubernatione: adhibitis documētis varijs pro heris & famulis; pro subditis ac Superioribus & Patribus, familias, omnibusque ciuibus in suis Statibus & Officijs, vt virtus, sanctitas, iustitia, & mutua pax obtineatur & conseruetur. Quæ tamen fufius in Tractatu quarto proponentur, in quo de Perfectione agetur inferiorum Staruum & Officiorum Rempublicam ipsam gubernantium, quales sunt Reges, Principes, alijque magni Domini, & eorundem Consiliarij ac Iudices, alijque particularium Ciuitatum gubernatores: indicatis præcipuis virtutibus, in quibus eminere debent, vt & in se ipsis perfecti euadant; & ad aliorum gubernationem ita apti, vt suæ gubernationis finem & scopum consequantur, qui in eo consistit, vt illos faciant bonos. QVINTVS porro Tractatus ager de Statu Matrimonij, quod etiam est Sacramentum: in quo explicabitur ratio Statum illum eligendi, totaque perfectio in varijs virtutibus, quæ ad ipsos coniugatos tum inter se, tum in filiorum educatione, & familiari cum cognatis tractatione pertinent. Et quoniam ex Matrimonio viduitas oritur, huius quoque Status perfectio indicabitur, ea tamen parte, quæ spectat ad continentiam, in sequentem Tomum reiecta: sub continentie enim vexillo militant præcipui Ecclesiasticæ ac Religiosæ Reipublicæ Status, de quibus fufius in eo erit agendum. Quamuis tanta est in rebus aliquibus similitudo inter trium Reipub. Status & Officia, vt quod de aliquo dicitur, ad reliquos etiam pertinere videatur. Nam in tractatione ipsius Sæcularis Reipublicæ inueniet Religiosus multa excellentis perfectionis pro suo Statu & contra in tractatione de Religiosa Republica inueniet coniugatus multa, quæ, vt in suo Statu perfectus euadat, eum iuuabunt.

